

576

MONUMENTVM
VIRTUTI MERITISSIMÆ
Perillustris & Magnifici Herois

D. THEODORI
TISKIEWICZ SKUMIN
PALATINI NOVOGRO-
DEN. GRODNENSIS, OLYTEN.
IVRBVRGEN: NOVOWOLENSIS
CAPITANEI &c.

SOLAMEN
PATERNÆ VIRTUTIS HÆREDI, MAGNI-
FICO ET GENEROSO DOMINO,
D. IANVSSO TISKIEVICZ
SKUMIN,
Brassauen. Capitaneo M. D. L.
NOTARIO. &c.
HONOR ACADEMICVS P. P.

A. D. num 19
2^o
TheodorVs Tysk'evCz Skum'in Astra petebat
VIINÆ, in Acad. Soc. IES V.



Lilium eras in buno, modo Nobile sidus in axe,
SKV MINIDE; virtus bos dat amata Gradus.

K. IOANNES DOLSKI.

35928



95464
10317

ADM.D. IANVSS VM TISKIEWICZ

SKVMIN, B. C. M. L. N.,

Ergone SKVM NIDEN THEODORON honore sepulcri,

Nate, pari decoras tritis, IANE, Patrem?

Ah, quoties Natos tera Fata Parentibus orbos

Discranciant pueru crux ea nota mihi,

Germanisq; tribus: Nobis, heu, raptus vterq;

TISKIEWICZ genitor, PACIA mater, erat;

JOSEPH TSKIEWICZ, Martino Patre; Philoac

Fratre; Palatino Breſtiaeo sed auo;

Quoq; Palatino stetit olim forte Smolenscum,

Huic proauus; nomen cui BASILIVS erat.

IANE, tuo Patri tutile Propatruus; acer

Vt M. CHAEL, Mars per KIOWIENSE solum.

Hoc auo ALEXANDER, tuus ille, Polotia, uidex;

NARBUTI cōiunx hoc, THEODORA, fata eit.

Heu quantam stirpem THEODORI funus acerbat!

Tetamen, ante alios tangit, ANE, dolor.

Sortis at humanæ memor, hunc moderare dolorem,

Cum ratio fatum vincere nulla queat.

Cui via finita eit, & onus requieuit eundi,

Gratatum huic requiem rectius ire decet.

Sors Patris impleuit felix, quos debuit, annos.

Huic, licet extincto, Fama superstes erit.

Fama Academiacis volat ecce citatiōn alis.

Patrem ea trans Canabas expaciata canet.

Vilnea Te florens ACADEMIA touth Alumnum:

Te mod. Fautorem prædicat illa suum.

Quod monumentum VIRTUTI sacrat illa Paternæ,

Me per, inoccidui pignus Amoris habe.

STANISLAWS CASIMIRVS TISKIEWICZ.

IN DIGMA
M. D. THEODORI TISKIEWICZ
SKYMIN.

NOBILIS suspiciunt Phœbes an cornua filys? Terra stupet more, ô THEODORE, tuos.
nobilis es vere: duo grammata iuncta loquuntur
virtutum decoras nobilitate genus.
Regibus a ternis cumulatus honore graditum;
signant hoc trifido terni anabathra gradu.
Sidera iam cales: agis inter lilia cœli,
Digma quod eloquitur, re, THEODORE, tenes.

JOAN. RAPHAEL IENDRZEIEWSKI



CRONODISTICHON.

Die emortualis.

Astra herol aperit Theodoro Aprilis, & astro
In TaVrl soLe M q VInta reponit æst.

Die exequialis

SoLe q Vater seno IVLI, De More parētat
Erepto natVs, raro at honore, patriI.

STANISLAAS BIALOSOR.

OCCV-

O C C V B V I T
Illustris & Magnificus Dominus,
D. THEODORVS
TISKIEWICZ SKVMIN
PALATINVS NOVO,
GRODENSIS, CAPITA-
NEVS GRODNEWSIS &c. &c.



Vpremus ille mundi Opifex Deus,
qui (vt Princeps Poëtarum ait)
*os homini sublime dedit, cælumq[ue] tueri
tus sit, & erectus ad sidera tollere cultus,*
idem AUDITORES NOBILISSIMI men-
tibus nostris eam legem non inscripsit, sed inseuit:
vt, quoties insolita m aliquam vniuersitatis faciem
notamus, ad eius aspectum, in diuersas abrupti cō-
mentationes, animo fluctuemus. Cuius enim pe-
ctus tam ferum, aut tam ferreum erit, quod inex-
pectata rerum asperabilium immutatio commo-
uere aliquantulū non poterit? Dum namq[ue] Austros
fæui-

sæuientes, aut Aquilonem grauius turentem experimur, dum monstrosa grandine quatimur, stagnatibus nimbis alluimur, an non aliquam calamitatem non modò corpusculis tenerioribus, verū etiā ipsis cautibus cladem insigne m metuimus? Quid si ordinatissimas cælorum conuersiones inæquabili cursu ire, contenebrescere Solem, palescere sidera, Lunam laborare videamus, num nihil de consueta hilaritate remittemus? Qui quidem perturbatus mundi status, præsertim verò illegitimus astrorum obitus, quanquam tantum rude & naturæ mirandorum ignarum vulgus horrore grandi percellant (Sapiens enim fortunæ ac ipsis dominabitur astris) attamen eruditio etiam capiti, nihil humani alienum à se existimanti, nonnullam sæpe ingerunt molestiam. Quod si ita est, quo sane animo esse oportebit omnes eos, qui in amplissimum M. L. Ducatus orbem ac cælum oculos hac tempestate defixos habent, aspiciuntq; non multo antè ILLUSTRE defecisse DECVS. En enim Astrum illud aureum nitidissima cinctū LVNA, gentilitiū, inquam, TISKIEVVICIORVM ASTRV illud, quod Aquilarū Gryphorum & cæterorum Heroum obtutus in se conuersos suo lumine recreabat, nunc splendorem pristinum pulla inuoluens caligine in circumspetantium pectoribus non exiguum mœtorem ciet ac ægritudinem, ô lugubre spectaculum! Illustris ne mpe

nempe ille & Magnis. D. THEODORVS TISKIEVVICZ
SKVMIN, PALATINVS NOVOGRODENSIS &c. &c. vir
æterno dignissimus æuo, summis pariter ac infimis
charus, vltimo vale Patriæ, vitaq; ipsi dicto, tran-
fit, quod mundus transit. O duram sortem! ô fata
inclemensia! Næ eximum M. L. D. iubar impla-
cibili mortis imperio in ferali sepulchro conditum
hodie delite scit. Quamobrem MAGNIFICE
D. Capitanee Braslauiensis, M. L. D. Notarie est cur
TECVM nunc iusta persoluente funebria Optimo
Parenti tuo, quem ille pulcherrimarum virtutū ac
insignium meritorum in Rempublicam Polonam
& Lith: suorum verum & germanum hæredē re-
liquit, est, inquā, cur TECVM omnes boni mœreāt,
ac lumē singulare hoc funere ademptum sibi que-
rantur, lessumq; hunc repetitis gemib; vna cum
Academia nostra, vestro nomini officiosissima, in
hodiernis exequiis ingeminent ac decurrant. OCCI-
DISTI, THEODORE TISKIEVVICZ SKVMIN, ANTI-
QVISSIMÆ FAMILIÆ, PATRIÆ CHARISSIMÆ, EC-
CLESIAÆ CATHOLICÆ LVX CLARISSIMA, OCCIDI-
STI.

LVX FAMILIÆ.

ET in primis antiquitate, nobilitate, amplitudi-
ne CELEBERRIMVM TISKIEVVICIORVM GENVS
comendatissimum semper fuisse quis est qui ne sci-
at AVD

at AVD. NOB. vt pote cuius gloria, vltra M. L.
D. Regniq[ue] Poloniarum fines, magnis viribus se
prouehens, ad exteras etiam regiones iam pridem
penetrauit; quod cū multis, ijsq[ue] inclytis apud no-
strates ordinibus, sanguinem, auita stemmata con-
iunctionemq[ue] communicat; quod deniq[ue] sobolem
suam, frequentissimam in grauissimo senatorum
Regni collegio, in serenissimorum Regum Curi-
is, in Castris Patriæ publicis, domi forisq[ue], opibus,
consilio, labore, prudentia rebus preclare gestis
honoratissimam spectauit. Quæ vniuersa, si pro ea
qua plurimum possent, dignitate tractanda essent,
præfixos propositæ dictioni nostræ terminos
longissimo post se relinquenter interuallo: ne que-
ramen cum ea maiestate, quam iure suo exigunt,
quamq[ue] ab eximijs alijs laudatoribus habere pos-
funt, à nobis explicarentur. Sed neq[ue] eius ipsius,
in quo oratio nostra celebrādo occupatur, præstan-
tissima facinora contenta esse volunt, vt primam à
generis nobilitate ducat commendationem is, q[ui] su-
is præclaré actis amplissimam posteris suis laudū
segetem ac materiam dedit. Quo sane in negotio
an non hic ipse SENATOR quondam consultissim⁹
et mortali hoc tumulo insinuat nobis æternæ me-
moriæ consecrandum Aragonum Regis Alphonsi
dictum, quod eum vita præditum procul dubio nō
latebat. Hic enim Rex sapientissimus, cum illū
quidam

quidam a natalium claritate plurimum extolleret
quod scilicet esset Rex, Regis filius, Regis Ne-
pos, Regis Frater: hominem interpellans dixisse
fertur: Nil esse quod in vita minoris ipse duceret,
quam quod ille tanti facere videretur. Laudem
enim illam non suam sed maiorum suorum esse.
A se itaq; si qua modo extarent, eliceret ornamē-
ta, non à Patribus iam mortuis ea extorqueret. O
dignum Cedro vocē! o regale oraculum! Stēmata
enim (vt satyricus ait) quid faciūt? vix profectō
vmbra veræ nobilitati faciūt. Quid prodest sanguine
longo censeri, pictos ostendere vultus maiorum, &
stantes in curribus Æmilianos? Id scilicet ostenta-
re, est nobilē comœdiā agere. Quid deniq; pro-
dest tota licet veteres exornent atria ceræ? Parietū
hæc magis quam sinceræ nobilitatis sunt decora.
Virtus nobilitas sola est atq; vnicā virtus. Quam-
obrem non commemorabo hīc ego clarissimæ il-
lustris Palatini stirpis, ex qua ille, germen fælix
pullulauit, splendorem; ptaermittam maiorum
eius in Remp. officia ac beneficia; non attingam fa-
mulantium frequentiam, opum abundantiam, &
reliqua fortunæ copiosa munera. Vnicum tantū
hoc loco adijciam elogium, quod laudatissimi
quondam ē Tiskieuicai gente (prout a D. Polon-
iarum Regibus, Callinico misconicio, Tiskoni
Callienicouicio, Basilio Tiskievicio, Leoni Tiske-
vicio

vicio eiusqe filio Skumino Tiskievicio , cæterisqe
eiusdem Propaginis columinibus data concessaque
testantur privilegia) illi , inquam , fortissimi
olim exercituum Ducees , Palatini , Castellani , Ur-
bium , Arcium , & locorum Præsides , Bellatores
validi , Terrarum Iudices , illi autem Atauiqe illustres
illustri huic suo nepoti , quodqe illustres Nepotes
ac posteri illustri huic Auo ac Parenti suo propter
singularia eius de prosapia sua merita ; quod de-
niqe qui magnæ huic supremi diei celebritati præ-
sentes adsunt , vna cum mecum sic concinnant ; THEO-
DORVS TISKIEVICZ SKVMIN , PALATINVS NOVO-
GRODENSIS ILLVSTRIS SVÆ FAMILIAE LVX CLA-
RISSIMA , HEV , OCCIDIT .

LVX PATRIÆ.

VEnio ad ea , quæ ab HEROE hoc nobilissimo ,
è medio nostrum sublato , summa cum laude
confecta fuisse multorum sermonibus ac scriptis
decantantur : ex quibus quantum regno Polo-
niarum potentissimo , magnoqe L. D. accessit deco-
ris ac emolumenti , ut tantū etiam ipsi rerum pul-
cherrimarū Authori adueniat gratiæ ac ornamenti ,
sicuti facimus , velle & optare debemus , omnes
nos , quotquot piissimo huic funebri officio ad-
stamus

ramus. Si enim boni ac Patriæ amantes ciues &
esse & dici volumus, necesse est ut viros egregiè de
eadem semper meritos suo honore colamus, eorū
sempiternam memoriam in animis nostris defiga-
mus, eorum magnifica ac diuinaprope opera ma-
gnis præconiis decorata cæteris imitanda propo-
namus. Felix illa, felix R esp. in qua labori sua mer-
ces, merito præmium, virtuti gloria neq; uaquam
detrahitur! non scilicet ab hac honestas, pulchritu-
do, magnorum studium, cupido famæ, arduorū
tolerantia, victoria difficultum, & reliquæ regnorū
dignitates in exilium quasi relegatæ solum vertere
cogentur; sed viuent, vigebuntq; in generosis pe-
ctoribus magna illa opera, atq; in seram longamq;
posteritatem strenuè propagata optatos edent fru-
ctus. Quid enim, quod primos illos omnium gen-
tium Principes ac Parentes, Ægyptios, Persas,
Assyrios, Macedones, Græcos, Romanos, quid,
inquam, erat, quod imperia illa bello paceq; florē-
tissima, multis sæculorum spatij; gloriofa præ-
stabat? illis nempe, quorum opera præclara Res-
publica clarior effulsit, non viuis modò, verùm e-
tiam eorum cineribus debitus honor ac plausus da-
tus. An non Laudatissima Miltiadis trophyæ,
Atheniensē illum Themistoclem è leculo nocturno
ad res fortiter pro salute suorum ciuium geren-
das excutiebant? Quid illud studiosissimum gloriæ
caput

caput illū contra omnia aduersæ fortunæ tela im-
pauidum virū, Iulium dico Cæsarem, ad genero-
fas lacrymas aliquando compulit? Glorioles Ma-
gni Alexandri cum insigni eiusdē statua tumulus.
Quid hunc ipsum mundi domitorem viriliter ge-
mere ac ciuolare aliquando coegit? Homerica Iliade
nobilitatus Achilles. Ut rectissimo heroicorum
conatuum tramiti constanter insisterent illi Curtij,
Scipiones, Bruti, Pompej, Scæuolæ, & reliqui
illi Regum maximorum triumphatores, vrgebant
auratæ illæ pyramidum moles, virtutum exqui-
sitissima emblemata, fora viæq; vrbium ac regionū
simulachris elaboratissimis excrescentes, publica
& continua eorum, q; se non sibi sed Patriæ natos
credebant, encomia. Nos ne igitur soli in libera
Repub. nati, nos virorum fortium meritis apud-
omnes nationes celebres reddit, nos gloriae forum
Parentum soboles, degeneres à clarissimis maiori-
bus nostris nos esse patiemur? Hoc scilicet in ani-
mum nostrum inducemus, ut dum laudes hono-
resq; eorum virtute comparatos iis referri audi-
mus aut videmus, nec ea pensi facientes, obstinatā
ad illustres labores mentem seruemus? Dum no-
bis illi non indecoro pro aris fociſq; patriis pulue-
re sordidi, dum in nobili suo sanguine pro ciuium
suorum integritate natantes, dum nobis illi in om-
ni honestate exercitatissimi Regibus ciuibusq; suis
fidelis-

fidelissimi ad optima consilia instructissimi, ad negotia publica conficienda paratissimi, in Dei Diuorumq; cultu seruentissimi, dum, inquā, nobis illi omnibus humanis diuinisq; ornamenti ornatisissimi proponuntur, nos eos aspectu nostro non dignabimur? in partem gloriæ eorum ire iussi, venire recusabimus?

Quamobrem habebunt in animis nostris, piè vita functe PALATINE NOVOGRODENSIS, tua de cora locum, insignibus virtutum tuarum, tāquam facibus quidusdam subiectis, ad gloriam inflammabimur vbi aliqua tantum (quis enim hoc loco potest omnia) præclarè dicta & facta tua numerauerimus. Quis illo Puerò constantior? Adolescentे cultior? Iuene grauior? Viro fortior? Sene consultior? Qui teneriorem illam, ante virilem, ætatem, totam ferè non in ludicris ac inanibus inter domesticas delicias negotijs, sed honestissimis artium liberalium studiis occupatus, in exteris Academiis exegit. Vbi eis animum verè nobilem excoluit moribus & disciplinis, Eis se oblectauit speciaculis, eos memoriamenti infixit rerum statutis, quos futuros aliquando prævidebat illustri suæ familiæ sibiq; dignitati, Reipublicæ vero utilitatib; cuius amore ac intuitu in ediscendis egregijs quibusq; facultatibus, eorum, q; vitæ eius moderatores erant testimonio: Multa tulit fecitq; puer sudauit & alsit. Vtinā taliū

)C

adole-

adolescentium hisce temporibus copiam habeamus, qui raram illam in primo annorum tirocinio in dolem, viuaciaq; ingenia, non ignauo torpori, sed literarum laboribus constanter ac studiose consecrarent. Quot enim sæpius magno natu ortuq; inueniuntur, qui vel nunquam, vel, vix aliquando humanæ rationis Reginæ eruditioni in limine, vt aiunt, salute dicta, ad quiduis aliud, sua etiam conditione indignissimum toto affectu rapiuntur; SAPIENTIAM VERO VNICAM REGNORVM CONSEVIATRICEM, FAMILIARVM NOBILISSIMARVM PROCREATRICEM HOSTILIS FVRORIS TRIVMPHATRICEM, CVSTODEM PACIS, diuitum gloriam, inopum subsidium (forte territi pulchrarum rerum semper comite asperitate) aut flocci faciunt, aut eam tanquam minus dignam sua consuetudine ad suorum opiliorum, vernarum, seruorum familiaritatem contra omne ius fasq; ablegant! & tamen dum canibus, citharis, choreisq; inhiant, se quondam Patriæ columna, lumina familiæ futuros pollicentur. Quasi verò vertagis in senatu olim consilia captandas barbaræ legiones fugandæ molli citharæ sono, artificioso pulsu ac motu pedum, legationes grauissimæ obeundæ. Veniret utinam sæpius in mentem eiusmodi adolescentulis, magni illius Pyrrhi, de regni sui futuro hærede, decretum sapiētissimum! qui cum à filiis etiamnum pueris, at ad grandia ab in eunte

ineunte ætate aspirantibus, interrogaretur. Cui nostrum, ô Pater, opulentum hoc, quod inclita tua dextera plurimū ampliſſi cauit, relinques regnū? Quicunq; inquit, vestrūm, ô nati, acutiorem habuerit ensem. Veniret, aio, id in mentem sæpenumero eiusmodi Iuuenibus, haberet patria charissima eos, quibus se fortunamq; suam tutò dedere posset. Ensis acutus, Auditores, apud puerum bellicæ pugnæ omnino rudem, est ingenium facile ac docile. Ensis acutus, est animus doctrina multipliç perpolitus, vt pote quo domi turbulenti errores, in castris inimicæ acies certius fugantur, quam quem validus at indoctus aliquis vibrat Gigas.

Excellentia ergo ILLVSTRIS PALATINI nostri, prioris æui rudimenta fuerunt præ sagitationes vitæ cōsequentis, quam totam propè trium serenissimorū Regum, ac Reipublicæ obsequiis, summa cum omnium ordinum commendatione impendit. Nā simul atq; è peregrinis terris sospes, & bonis artib⁹ prudentiaq; in rebus gerendis satis instructus in patriam remeauit, ad augustam, vt verbo expediam vnico plurima, ad augustam, inquam, Regis AVGVSTI curiam se recepit: & in ea integrè, quamdiu Regiæ maiestatis aulicus asselca censebatur, versatus, cum familiaribus regio nomini addictissimis amore, cum assiduis frequentia, cum hono- ratis splendore, quem sua conditio exigebat, semper cer-

per certare voluit. Inde factum ut postquam Re-
gii lateris fidus Comes cognitus fuisset, Equites ar-
matos ære proprio collectos ad bellicas expediti-
ones saepius eduxisset, eosq; pluribus temporum
spatiis liberali stipendio auctos strenue sustentasset;
variis ijsq; maximis R eip. negotiis conficiédis ido-
neus deputaretur, ad difficiles Commissiones ex-
pediendas delegaretur, mitteretur etiam Legati ti-
tulo specialis in Moschouiam res magni momen-
ti ibidē tractaturus. O labores præclaros! ô me-
rita honore sempiterno pensanda!

Verum enimvero an operum magnorum hic meta
scopusq; ultimus Auditores? REX AVGUSTVS di-
erum mortalium terminum accepit, hunc vero vi-
ta ad maiora adhuc posteris Regibus reddenda
officia seruauit. Hic enim, cum Rex ille erga su-
peros pietate, Zelo religionis, rei militaris gloria,
constantia, fortitudine, prudentia, & cæteris rega-
lis maiestatis insignibus inclytus STEPHANVS BA-
THOREVS sceptris thronoq; Avgvsti potitus fuis-
set, ad eum cum alijs M. L. D. Oratoribus æter-
num illi imperium precatum ire varsuam com-
muni summorum ordinum consensu iussus, eius-
modi se virum esse ostendit, ut non vulgarem Re-
gis bene meritorum subditorum locupletissimi re-
muneratoris gratiam collegisse visus fuerit. Nam
ad manus fidemq; eius satis commendatam THE-

SAVRVM

SAVRVM CVRIÆ IN M. L. DVCA: depositus. Nec
multo post, ut rursus is supremo difficilis ac peri-
culosæ legatiōis munere in moschouia fungeretur,
edicto suo regio declarauit. Hic scilicet erat rho-
dus hic saltus. Non subterfugit heros magnanimus
impositum onus, nec assignatum pro patriæ honore
arduum laborem recusauit. Nouerat ed eum Ty-
rānū se allegari, cui sacrosancta gentium iura sæpe
ludibrio erant; cui nil fide, iustitia, principibus de-
bita prudentia & clementia, sed omnia ferè perfidè,
omnia iniuriosè, omnia temerè agere solenne fuit;
cuius barbara palatia, tanquam reorum carnificinæ,
humano cruento madebant; qui deniq; figurâ homi-
nis tantum præditus esse, reliqua cum feris belluis
communia habere semper iudicatus est. Nouerat,
inquam, hæc vniuersa, virili nihilominus animo pro-
ciuium suorum commodis vitam profundere pa-
ratus iter adornauit. Aggressus magnum illum
omnis inhumanitatis Principem, cùm quid vellet
sui Regis nomine re verbisq; diserte ac liberè ex-
poneret bellumq; atrox, ni ille postulatis aquiesce-
ret, indicere auderet, vidit furētem immanem Du-
cem, ad solita crudelitatis instrumenta conuersum,
dira omnia eius ipsi⁹ Regioq; capiti minitatem; nec
tamen vlla ibi acerba sorte territus, salutis etiā suæ,
si opus foret, prodigis, fidelem utilemq; Reipu-
blicæ suæ operam nauauit. Cui te h̄ic LEGATE in-
uictissime

inuicissime, comparabo? quo nomine responsa gra-
via, constantem in periculo munere animum ap-
pellabo? Nouum te Regno Pol. Magnoꝝ L. D.
tunc natum P̄ophilum vocare nō verebor; qui for-
tis ac magni animi vir audire meruit, quod à Sena-
tu populoꝝ Romano literas de exercitu ex Ägy-
pro abducendo, deꝝ regno pupillorum Ptolomæi
non usurpando, efferato illi Regi Antiocho attu-
lisset; &, cùm Rex deliberatione habita, Epistolæ
illi responsurum se promitteret, bacillo quem ma-
nu gerebat, circa eum orbem descripsisset, ac tan-
dem illi cum suis exercitibus tanto facinore &
magnanimitate legati peculis sic locutus fuisse;
Hic ergo stans ò Rex delibera & responde. Reuixisse
in te, LEGATE fortissime, gobriam illum animosum
affirmare audebo, qui cum Dario hostilibus armis
in eius patriam irrumpenti, legationis suæ imagines
auem, murem, ranam, & sagittas quinque obtulisset,
Rex ꝑ per murem terras, per ranam aquas, per a-
uem equos, per sagittas animas corporaꝝ incolarū
eum tradere interpretaretur, non timidè in conspe-
ctu numerosissimi exercitus dixisse hæc perhibe-
tur; O Persæ, nisi vt aues auoletis, aut vt mures oc-
cultas terræ cauernas subeatis, aut vt ranæ insilia-
in paludes, huiuscmodi sagittis confixi ad patrios
lares nequaquam amplius remeabitis.
Sed transeo ad alia eiusdem roboris ac fortitudinis
singularia

ingularia argumenta. Haud multò post, quām
ille ex legatione iuxta animi sententiā Regis fere-
nissimi acta, ad sua, in magna curia, rite obeūda mu-
nia redierat, bellum Moschouiticum, inuisis vicinis
nostris detestandum, Republicæ verò nostræ sa-
lutare interuenit. Rex bellicanum rerum peritissi-
mus, Thesaurarijꝝ sui industriam pròbè exper-
tus, omnium militarium instrumentorum curam,
pro tota expeditione illa, eius potestati tradidit, vt
scilicet, prouideret is, quæ armorum genera, quas
fusiles tormentorum machinas, & reliquum belli,
apparatum, ad hostes tam aperto quā occulto Mar-
te oppugnandas, castra, arces, propugnacula, mu-
ros, ac turres eorum diruendas, idoneum existima-
ret, quamprimum quā terrā quā aquis suam sub-
tutelam suscepta in oportunis locis, fossis, vallis,
coribus, ad stativa obsidionalia constitueret. In
hoc autem munere operosissimo quid vnquā fuit,
quod eum auocare potuit, quominus alacriter, ce-
leriter, strenueꝝ negotium imperatū exequeretur?
An labor ad quietē, continua solicitude ad corporis
animiꝝ relaxationem, viarum asperitas, & stus,
cœli inclemens ad longiorem moram eum perpu-
lit? Sciebat vir prudentissimus non exiguum rei
bene gerendæ in sua opera sitam esse partem, ideo
omnibus impedimentis exclusis, celeritatis suo in
itinere potiorem semper duxit rationem. Itaꝝ toto
belli



belli illius maximi tempore, suo officio ut responderet, in id vnicū totis viribus incumbebat. Verū iam eōne solo labore virtus egregia contenta erat? nihil plus ultra pro Patriæ & pro Regis sui amore appetebat: Audite præclarum facinus, AUDITORES, & vt illud sempiterna memoria celebretur contendite. Adductis bellicis ad hostem vndiqꝫ omni ope quassandum instrumentis, cùm, quod cōmendato suæ industriæ opere gnauiter perfunctus fuisset, satis à summis Ducibus commendationis gratiæ qꝫ haberet, militis etiam generosi munera strenue vrgere ac prosequi in animum induxit. Quapropter ille, etsi commodiore tutiore qꝫ loco posset, laboriosiore tamen magis delectatus, noctes diesqꝫ in vallo expugnatorio ponebat, in arces hosticas insultus ac impressiones faciendo, in acie quotidie perseverando, vitam periculosaqꝫ aleæ exponendo, omnia deniqꝫ quæ virum fortem Rei qꝫ publicæ amantissimū decebant animose enitendo, Patriæ Regisqꝫ Optimi fauorem ac benevolentiam merebatur.

Caruitne igitur virtus præclara tamqꝫ varia suo honore? Ut difficile est aliquid igne concepto non inflamari; in sole ac puluere æstiuo aliquem aperte versari, & à caloris vehementia colorem non mutare; Corpus offundi lumine, & umbram non praecipere; ita profecto à virtute gloriam ac dignitatem si separare

volueris, Mundi Parenti naturæ contra ire necesse
est. Sapientissimè id, vt cætera omnia, R eges illi
nationum , gens illa toga ta, ac rerum Domini viuo
quodam argumento expresserunt. Quorum non
modò in auribus assidue intonabat, verum etiam in
manibus ac oculis quotidie versabatur, & aure um
illud axioma ; PER LABOREM AD HONOREM ; & au-
gustum honoris templum magna mole & splendore
exstructum ; ad quod aditus nulli patebat prius,
quam ædem virtuti sacram ei affinem vestibulicę
quodammodo vicem tenentem penetrasset : vt sci-
licet sera Romanorum posteritas etiam atq; etiam
in animis suis hoc profundissimè reconderet : In
R egina urbium Roma honorem non inclytis ortu,
aut Parentum gloria aut copiosis opibus, sed virtute
præstantibus viris conferri. Illustris ergo THEO-
DORVS TISKIEVVICZ SKVMIN, post periculosas cū
laude absolutas Legationes, post Patriam Sangui-
ne suo nobilitatam, post Bella feliciter confecta,
esse potuit sine præmio virtuti suæ debita ? Tuam
ego hinc fidem pietate armisq; Maxime Rex STE-
PHANE BATHOR invoco, an non sponte vtroq;, tua
singulari erga illum benevolentia , HEROS hic ma-
gnanimus, de te tuisq; regnis optimè meritus, præ-
ter alia ingentia beneficia tua regia, tum post ca-
ptam, munitionibꝫ quondam potentissimam arcem
Polocensem, CAPITANEVS BRASLAVIENSIS ; tum

A

post

post expeditum Magnolicense bellum, CAPITANEVS OLYTENSIS; tum post recuperatas Polocensis Palatinatus Possessiones, post receptas ultra Dunam Liuonicas arces, ad quas Commissarius ierat, SUPREMVS M. L. D. THESAURARIUS renunciatus est. Idem regio tuo capiti perpetuus Affecta, non prius ex Curia tua pedem extulit, quam tu ipse ex mortali vita ad immortales Catholicis Regibus paratas Coronas euocatus exiuiisses. Testis erit regium Funus tuum, cuius ille supremam curam, usq; dum extra fines M. L. D. pompa nobili edetur, pro suo in te amore ac obseruancia diligenter egisse uno omnium ore ac voce iudicatus est.

Liceret mihi hic Auditores (quod etiam eruditiorum grauiū narratores factitare plerumq; solēt.) orationem meam vehementiori epiphonemate cōgitare, ne fessa ac inops quodammodo in plenissima præclarè factorum defuncti Herois commemoratione consisteret, sed inchoatam funebrem hanc laudationem feliciter absolveret: nisi ipsa vestra in me audiendo attentio ad negotium inceptū perficiendum stimulos sufficientes mihi adhiberet.

Quamobrem libere pergo, quidq; lux haec Patriæ, Vir hic nobilissimus, extincto Rege, glorioissime hactenus egerit, explicare contendō. Summo nēpe omnium M. L. D. statuum consensu ac mando, Interregno durante, in Metropolitana Arce nostra

Intra Vilnensi residere iussus, cum ingenti lætagi
omnium admiruratione vniuersa R eip. negotia
confecit. Electionem Serenissimi Regis SIGI-
MVNDI TERTII (qui 31. annos semper inuictus
Monarcha regnat) Præsentia sua suorumq; ma-
gno comitatu, tum omni iure ac ope in frequenti-
bus nobilitatis comitijs, priuatissq; conuentibus
promovuit. Cuius negotij non exigua portionem
in capite eius positam fuisse testatur illæ, quæ etiæ
nunc afferuantur, tum Cesareæ, tum Regis Sue-
ciae, & Maximilianæ, ipsiusq; Serenissimi nostri,
ac Viduæ Poloniarum Reginæ, (apud quam il-
le multum gratia pollebat) tum deniq; Ioannis
Zamoyski Supremi in Regno Poloniæ exercituū
Ducis ad eum datæ literæ. Habuit itaq; egregium
hoc eius in Regiam maiestatem officium apud po-
pulares suos honorem, apud Serenissi: verò,
Sigismundū 3. eximium semper fauorem. Näm
hic post quam felicissimè in regnum sibi delatum
ingressus fuisset, cum Cracoviæ humilem se suæ
Regiæ Maiestatis subditum conceptis verbis profi-
tentem, CAPITANEVM OECONOMVMq; GRODNEN-
SEM esse voluit. Fidum deinde post exploratam
eius erga R eipub. fidem, post cognitas in eandem
plurimas ex proprio eius ære factas expensas, ob-
sequijs regijs prope confessio, ab officioq; supremi
in M. L. D. Thesaurarij missionem vacationemq;

obnixè petenti PATINATVM Novogrodensem
contulit. In qua dignitate constitutus annos 28 &
menses aliquot exegit: Patriæ, Regiæ Serenissi-
mo consilijs auxilioq; afflictis etiam temporibus
R. P. semper præsens: ac eo quoq; nomine vel
maxime omnibus bonis gratissimus fuit: tandem
CAPITANEVS IVRBORGENSIS ac NOVOVENESENSIS
esse meruit. Quid iam hoc loco dicam, Auditores,
quæ digna tam illustribus dictis factisq; fingi pote-
runt elogia! En ea paucis ego explico vos audite &
fauete. Illustris THEODORVS TISKIE VICZ SKVMIN
in aula quondam regali Splendidissimus, Curiæ
primum, deinde Supremus M. L. D. Thesaurari-
us, CAPITANEVS BRASLAVIENSIS, Olytensis, Gro-
dnensis, lurborgensis, Nououolensis, dignissimus Pa-
latinus Nouogrodensis, prudentissimus, literarum
& literatorum vir amicissimus, Bellicis artibus in-
stru stissimus, Legationibusq; consilijs, magnis ne-
gotijs facile explicandis Spectatissimus, Patriæ
studiosissimus, tribus Poloniarum Regibus Cha-
rissimus occidit. & ut verbo unico cōmpræhendam
omnia LVX PATRIÆ CLARSSIMA OCCIDIT.

LVX CATHOLICÆ ECCLESIAE.

Am, quomodo nobilissimum genus suum officio-
sissimis promeritis ornauerit, quidq; pro Patriæ
chari-

charissimæ amore egerit, accepistis, Auditores; nunc quos in Ecclesia nostra Catholica radios Lux hæc clarissima effuderit, quanti cultum ac religionem erga Deum O. M. Diuosq; omnes fecerit, cognoscite; dum aliqua quam breuissime vestræ in me audiendo benevolentia memor perstringo, alia vero in ampliori theatro spectanda quandoq; resolu: In exteris regiones bonarum artium perdiscendarum causa expeditus erat, per quarum præcipua gymnasia nouarum hereseon pestes passim grassabatur. Ea ab illustri hoc quondam Adolescenti in alia religione Catholica constantissima suorum moderatorum voluntate frequentabantur, & ijs professoribus aurem accommmodabat, quibus, (vt omnibus seclarijs familiare est) nulla etiam ex re captata occasione, in quotidianis prælectionibus, doctissimos grauissimorum veræ fidei lumine illustratorum scriptorum commentarios maledictis lacerare, allatrare ad ingeniosas easq; pietate plenissimas questiones, in sacram sedem Romanam conuitia congerere, sanctissimæ Principum vere Christianorum vitam ludibrio expnere, Cæmonias diuiniores omnibus fanatis eludere. An igitur Iuuenis religiosissimi animo inquinatis hisce ac malevolentibus cauillationibus publicè priuatimq; saepius appetitus, est expugnatus? Minime profecto. Quo semel est imbuta re-

recens feruabat odorem tella vt cu Lyrico illo va-
te dicam) nec mentem vñquam religionis, suæ an-
tiquissimæ mutandæ habere se passus est. Redijt
ergo in Patriam cum ea religione, quam cum lacte
materno hauserat, & cum eo diuini cultus ardore,
quem ad extremū vñq spiritum vel minima dissim-
mulatione violare nefas creditit. Hem pectus ge-
nero sum ! O ingenium singulari cælesti gratia con-
firmatum ! Eximiam hanc in auita fide constantiam,
Adolescentes nobilissimi, quicq solenni huic pō-
pæ funebri adests, memori animo retinete. Dum
studiorum morumq ciuilium gratia in peregrinas
Vrbes à maioribus vestris amanda mini, ne peregri-
nas religiones, in patriā r educes, vobiscum addu-
catis diligenter prouidete; nisi sacrorum hæredita-
riorum prædones, Templorum ab auis, at auis Pa-
rentibusq vestris ditatorum demolidores, Ecclesiæ
Harpyiæ, Reipub. Cathtol. proditores, Diuorum
ōniū hostes & esse & scribi & dici velitis. Sed quor-
sum à præfixo dictioni meæ scopo paulatim abeo ?
Tecum, ILLYSTRIS PALATINE, tecum rē agere in-
gressus, tecum cōtinuo. Inata tibi erga sanctos cæ-
lites vera Pietas tecum creu it, fructusq eos edidit,
qui in utilitatem multorum redundauit. Cui enim
nota non est tua illa in adeundis sacris famis Dilige-
tia, orationis Studium, cum religiosis hominibus
intima familiaritas ac consuetudo, liberalissimæ in
Pauperes


Pauperes erogate Eleemosynæ! Quot per mu-
nificam dexteram tuam oppressi eleuati, afflitti
recreati, tuum auxilium implorantes serio adiuti?
Pietatem tuā benignissimā morūq; rarā Facilitatē
omnes tuo ordinatissimo regimini subieci vberib⁹
testantur lacrymis. Piissimā tuā Beneficentiam,
numerosa eaq; pulcherrima Cælitū Tēpla, in tu-
is regijsq; tuo vñi cōcessis bonis exstruc̄ia tuo sū-
ptu, percipiendis fructibus amplis dotata, prædi-
cant. Plurimum tibi se debere tua illa intra M. L.
D. terminos Græci ritus Ecclesia p̄fitetur, qui sa-
pientissim⁹ & præcipuus VNIONIS eius cum Latina
AVTHOR extitisti. Quamobrem illa tibi HEROI PI-
RISSIMO ad tumulum hanc Epigraphem, grataesse
tibi volens, mæsta occinit. OCCIDISTI THEODORE
TISKIEVVICZ SKYMIN, Pater Pauperum, Pietatis
antiquæ Exemplar, Templorum Deo dicatorum
constructor, Vnionis orthodoxæ promotor, ECCLE-
SIAE CATHOLICALVX CLARISSIMA, OCCIDISTI.
Cuius igitur hodierna die occasu m̄ amplissima de-
plorat Familia, dolet Patria, mœret Catholica E-
cclesia, nos, AVDITORES ORN. eius desiderium lu-
gubri conclamatione non prosequemur? Ille quon-
dam Aulicorum R̄egalium Alpha; ille curiæ antè
pōst M. L. D. supremus Thesaurarius; Braslawi-
ensis, Olitensis, Grodnensis, Iurborgen, Nouowo-
lensis Capitaneus; Nouogrodensis Palatinus con-
ful-

fultissimus; ille bis Legat⁹ in Moschouiam soler-
tissimus , armorum contra feros Moschos edu-
ctor vig latissimus, Commissarius Regis celebra ,
tissimus, Interregni temporibus, R eip. Custos fi-
delissimus, Senator prudentissimus; ille trium Po-
loniæ Regum Asseſtator studiosissim⁹ , Principū
virorum amor, Patriæ, Familiaæ, Ecclesiæ Ca-
tholicæ lux, posteritatis splendor, in conspectu no-
stro, laboribus honoribusq; satur, annos supra octo-
ginta quinq; nat⁹, communi omnium Parenti Ter-
ræ, supremo cum officio, commendandus, cōsti-
tuitur. Heu quantis vna dies, imò horæ vnius mo-
mentum nos spoliat diuitiis ! Quid animi nunc tibi
est ô CONIVX TANTI HEROIS CLARISSIMA ? quæ ad
lugubre spectaculum deficis , in lachrymasq; reso-
luta, Maritū tuum charissimum (quo cum quin-
quaginta & aliquot annos inaudita cōcordia, amore,
probitate traduxisti) multis gemitibus heu frustra
requiris. Quanta verò mœroris nubes oculis tuis
obuersatur, IOANNES TISKIEVVICZ SKVMIN CAPI-
TANEI BRASAVIENSIS M.L.D. NOTARIE, tāto pa-
tre dignissime Fili⁹ dū Patris tui Funus triste in-
tueris, illudq; tanquā carum pignus in facello ho-
norifico ad sacram hanc TRINITATIS æ-
dem à te extructo æternū deponis. Occubuit qui-
dem Illustris Parenstus. & omnes nos luctu im-
pleuit; nilominus dum te virtutum suarum hære-
dem

dem Sobolemq; tuam suauissimam Regno ac M.
L. D. reliquit, non parum tristitiae ex animis no-
stris abscedit: præsertim cùm te iam optime de v-
niueisa Rep. deq; R ege serenissimo promeritum
videamus. Quamobrem TIBI, CVM MATRE OPTI-
MA, CONIVGE INCLYTA PROLEQVE TVA, SVPERSTI-
TI felicitatem fauoremq; omnium; illi verò vita
piè functo perennem gloriam comprecamur, dum
ad nobilem hanc eius sepulturam magni Regis su-
pra. Abner è viuis sublatum plorantis lugubrem
næniam mæstis his vocibus ingeminemus. Num
ignoratis quoniam maximq; cecidit hodie in Israel.
VALE ILLVSTRIS QVONDAM PALATINE Novvo-
GRODENSIS, VALE. ILLICET AUDITOR ET SPE-
CTATOR. PRÆIVIT ILLE. NOS EVM QVO
SVPERI VOLENT ORDINE SEQVEMVR.

DIXI.

STEPHANVS THEODORI, ss. THEOL. AVD.



13



ODE PARENTALIS.

ORMOSIORIS blanda ubi temporis
Renidet ætas ver, & humum nouat,
Luduntq; Maio iam propinquo,
Floricomis & Charites in hortis ; & Gratiæ
Ludit iuuentæ flos Academicæ ;
Binâ in palæstrâ Dramation suis
Hic sympalæstritis, beato
γ De Domitore Draconis edit.
Vates reposcunt materiam nouam,
Stylo excolendo. materies datur,
Orationis & Pedestris
Et (numerosior hæc) Equestris.
Cantare seu stet ³ Lipsana Regia,
Plocensis ædes maxima quæ tenet,
Diui SIGISMUNDI, clienti
Sceptrigerò venerata nuper,
Seu transmarinos stet calamo Gothos
Ciere, regno consulere ut sciant ;
Gœstaui Adulfi vim perosi,
Legitimum Dominum præoptent.
Vrgere seu stet Moscouiam stylo,

e actiun-
culam.

γ s. Ge-
orgio

δ soluta

ε Ligatæ.
ζ reliqui-
as.

B

Ne, per-

Ne, pertinaci pectori, Principem,
Regum satu grandem, Polonum,
Cuidebit antè fidem, renutet.

Seu Præsulari fausta regressui
Stet gratulari; Peridum Patri,
E flore Pimplœ decentes

a Poetico.

Conserere E V S T A C H I O corollas.

R̄mi. D.
Abr. way.
us.

Seu stet Methones Præsulis inclytas

Sonare Laudes, ut qui Academiæ

Tutatus acer est Alumnos,

Varsauiae male prouocatos.

Seu largitatem dicere ciuium.

Stet vrbis huius, Turris in æthera

Qua surgit, ad S. Ioannis;

Ære sacro monitura Vilnam.

Iamq; arbitratu scribere pro suo

Dum quisq; certat, lugubris it sonor

Tota vrbe, turres perq; sacras

Pendula cuncta agitantur æra.

Qui TRINITATIS ter venerabilis

Sacram ornat ædem, colle sitam edito,

Asceticos propter Penates,

Principium dat OLOR canorus.

Hunc subsecutus mox CASIMIRIUS

Tollit rugitum gratisonum LEO.

CONSTANTIA vocaliori.

Intremittat attiguum Lyceon.

campana-
omina.

Respon-

R e s p o n s a t Æ d i s P r i n c i p i s h u i c T u b a ,
A r g u t i o r i s e d r e b o a m i n e :

N o m e n S I G I S M V N D I h æ c a d e p t a
M o l e s u p e r g r e d i t u r s o r o r e s .

C u m v e r s i c o n d i s a t t o n i t i s t u p e n t
M u s i s E p h e b i , mox s i b i q u i d v e l i n t
S o l l e n n i o r e s h i j b o a t u s ,
S o l l i c i t i s a n i m i s r e q u i r u n t .

P e n n i s i n a t r i s N u n c i a t u m D e a

B F a m a

A s t a r e v i s a e s t E n c e l a d i s o r o r

N o u o g r o d e n s i s n i g r i c a n t i s

g i e m m a
P a l a t i n a -
t u s N o u o -
g r o d . f u -
s c u s A n g e -
l u s .

A L I G E R I , o s h a b i t u m q ï f i n g e n s

O r i æ s r e c u r u u m , q u o d g e r i t , a d m o u e t ,
A c l u c t u o s u m d a t T a r a t a n t a r a :

D a t q u a l e , V u l c a n o f u r e n t e ,

E s p e c u l a T u b i c e n f o r e n s i .

V t N e r i s a u d i t (s i c V i l i a m v o c a t

V i l i a L i -
t u a n i s
N e r i s .

A g r e s t e v u l g u s , n e c m a l e N e r e i

V d i p r o p a g e m , d e N e r a)

N e r i d e s v t s i m u l a u d i è r e ,

T e m a x i m a t u m g l o r i a , P a t r i æ

I l l u s t r e s i d u s , R e g u m a m o r i n c l y t e ,

C o l u m n a s t i r p i s m o r t e r a p t u m

T I S K E V I D V M , T H E O D O R E , L u m e n s

F i t p l a n g o r : o m n e s i n l a c r y m a s e u n t .

M o e r e t , g e m i s c i t , G e n s P h i l o g r à m a t a ,

O b l i t a c o e p t æ s c r i p t i o n i s ,

E m a n i b u s c a l a m o l a b a n t e .

B 2

H e u ,

Heu, inquit, Heros maximus occidit,
Vir pace & armis maximus occidit,
Legationibusqe gestis

Maximus occidit, heu, Dynastes.

Immane prorsus, Res Lituana,
Non ante multo vulnus adnauseras,

Cum Dux adiuit NICOLAVS

CHRISTOPHORVS RADIVILVS Astra.

Secutus illuc Pontificem suum,
Iubar sacrorum nobile Præsulum,

Virtutis exemplar colend^e,

Quem abstulit vrbs Patauina WOYNAM.

Te sauciauit nec leuiter prior

Feralis annus, mors HIERONYMVM

Quo CHODKIEVICIVM subegit,

Quem titulis decorauit Arx hæc
Vilnæa, Castellani & honoribus.

En hic PALLATINVS NOVOGRODICVS,

Dignus triseclis Regis æuo,

Vulnere te nouo, eheu, cruentat.

Mortem ô cruentam quæ furit & ferit,

Feroxqe sternit quosqe hominum, haud verens

Vel ordinum, vel dignitatum.

Hic tibi nil, THEODORE, prorsum

Opis tulere aduersus acinacem

Atroxue telum Parcæ inamabilis,

Tot clara maiorum tuorum

Nomina? nil decora alta gentis?

Nil

Nil gelti honores militiae ac Togæ ?

Nil dignitatum tam varij gradus ?

Nil tot trium Regum fauores ?

Nil tituli neçp Præsidatus ?

Nil prædiorum copia diuitum ?

Rura , & coloni nil tot Agrarij ?

Cime liorum nil fauissæ ?

Nil famulorum animosus ordo ?

Omni leæna Morta ferocior 1

Constat , ferina lege coercitâ ,

Innoxium per supplicantis

Transilijsse caput leænæ .

At Parca nulli parcere gnara , nil

Intaminatum nil & inobrutum ,

Harpyia crudelis , relinquit ,

Filia nil miserantis orci :

Quis fur quis hostis morte nocentior ?

Quis efferata falce potentior ?

Securus altum stertat ullus ,

Vndiq̄ telo inimico apertus ?

Intacta quænam hoc fulmine faustitas

Transiuit ? huic quæ non ruit insula ?

Sceptrum quod infractum ? potestas

Quæ stetit inuiolata Morti ?

An vlla rupes quamquam adamantina

Excessit huius terribiles minas ?

Elusit an conamen huius

Vlla sagax animi senectus ?

B 3

elenodie-
rum rece-
ptacula.

Matu-

Maturus æui, canitie grauis,
Verendus annis occidit occidit,
Heu, longiori dignus æuo;
Occidit, heu, THEODORVS HEROS.
Quid vita nostra est? stiria labilis.
Quid vita nostra est? scipio scirpeus:
Quid vita nostra est? vilis alga,
Bulla, cinis, vapor, umbra, nil est.
Exaggeratæ sunt quid opes? nihil.
Clari propago quid generis? nihil.
Nil sunt honores, nil voluptas:
Cum moriente mori videntur.
Expers sepulchri sola superstitat
Amata virtus; sola ea nos beat,
Genus clarat, famam perennem
Sola parit bene parta virtus.
Hæc te beauit, te decorauit hæc
Viuace fama te vetat emori,
Æqui tenax, immote summi
Numinis, ô THEODORE, cultor.
Ecquis sacrorum te reuerentior?
Quis irretorti iuris amantior?
Fides avita Veritasq;
Inuenientne parem Patronum?
Sparsis capillis te bona Veritas,
Fidesq; luget, Religio gemit,
Ritus Achæi cum Latino
Tu bonus author eras iugandi.

Ge-

Genis reuulsis te gemit Aequitas,
Quæ salua saluo Præside te stetit:
Te Ciuitates flent & Arces,
Iura quibus dare tu solebas.

Te subditorum rus habitantium
Deplorat agmen, non ut Herum, at Patrem;
Exactione quos iniqua
Non tuleras bonus aggrauari.

Tuo mouetur Regia funere,
Expertos fidum quem fuerat sibi,
Et Regibus ternis amatum,
Militiae domiue, Achatem.

Tuo mouetur funere purpura
Tor optimatum fulgida natio,
Raptum querens te Maximatem;
Te queritatur Equestris ordo.
Satu propinquæ, præ reliquis, domus
Dant signa luctus TISKONIS inclyta
Herois incliti propago:

Cui iubar EVSTACHIVS refulget,
Brestæ Palatinus memorabilis,
Brestæ Palatino Patre profatus
GEORGIO; quod frater huius
Nomen adeptus es ò GEORGI:
Sacré GEORGI militiæ decus,
Cuidux IESVS, tessera nomen est,
IGNATIVS LOIOLA, dio
Signifer ac Promachus vocatu.

Acer.

Acerba mors hæc non minus est tibi,
ALFONSE LACKI, Succamerarie,
O Dunaburgi Præses arcis,
O Litaui soboles Achillis.

Affinitatis nomine congemis
Hunc funerato, fœdere cui tori,
Tui soror coniuncta Patris.
Ergo doles amitæ dolore.

Denate ô Heros quid nurui tuæ
Hic luctuosæ contiguam domum
NARVSZEVVICIAM sonem? quod
Hæc specimen dat amica luctus?

In hac refulget, ceu Cythereium
In arce sydus, CHRISTOPHORVS, cui,
A Rege, Lithuani Ducatùs
Credita gaza fidesq; fisci.

Quid hic propinquas KORSACIDAS loquar?
Tiskieuiczano in st̄emate lilium

Horum albet. vñus, heu, IOANNES
Te sequitur, THEODORE, pernix:

Hoc se Osmiani curia, iudice,
Musæ hoc Patrono deſtitui dolet.

TISKIEVVICINVM sed camœna
Funus, ô auia, prosequamur.
Quid hic vacillas Musa? quid hæſitas?
Quid expaueſcis? cur manus atremiſit?
Num Filij ſummos IANI
Exprimere hic refugis dolores?

Et

Et iure : tenta ; frustra eris arte huic,
Timanthæ, ocellos occule splenio.

Haud sic adempti fata Ioseph

Fleuerat Isacidæ Parentis.

Sed nec Dauidem sic Salomon suum ;

Nec R oboamus degenerans Patrem ,

Vt lachrymis mæftis IANVS

Te flet, cheu, THEODORE, natus.

Natura iunxit nexu adamantino

Prolem colendis vſq; Parentibus ;

Nec absq; permagno dolore

Se, dirimente Atropo, iugantur .

In seiugatis hæret amor diu ;

Amor dolorem diuiduus parit :

Dolor querelas lachrymasq;

Atq; diu nigricantem amictum.

Amictus albens lugubris, haud niger

Est nationi (res noua) [¶] Sericæ

Qua cultius politiusue

Nil habet vſquā habitatus orbis.

Seres suorum funera tertium

Lugent in annum , deposito Rei,

Quam publicam gessere, clavo,

Iusta suis iterantq; priui.

De Patria sunt qui meritissimi ,

Templum merentur nobile , Publicum ;

Horum choragijs notatum ;

Thure quod assiduo vaporat.

C

O IANE,

O TANE, pulli non habitus quidem
Squalore luctum tu trietericum
Præ te feres; at corde mœsto,
At gemitu caput hoc perenni
Desiderabis, dulce caput Patris:
Non paruā opum vi cui tumulum nouum,
Ad TRINITATIS condis Ædem,
Adiçis ac tumulo facellum;
Struis venustum quando sacrarium,
Quā marmorato, quā laterittio
Muro, paterni fidum amoris
Mnemosynonq̄ pij doloris;
Paterna virtus, en Clario capit
E porphyrite, iure quod optimo
Debetur huic perenniclaram,
Abs Academico Honore, famam.
Iussu Parentis, te iuuenem indole
Hic singulari Vilnæ ACADEMIA
Formauit optimas per Artes;
Quas alibi regionum adauxti.
Nunc optimarum percipis artium,
Si quando, fructum promouet insita
Doctrina virtutem. hac & illa
Rem sapientius administras.

Herba Vtraq̄ fultus Patris amabilis
luctum se Pertriste lethum fers moderatius,
dans. Nepenthes immenso dolori
Coçiliante Dei Pronœâ,

Dei

Dei × Pronœâ non variabili,
Hoc †P andochèo cuncta geri vides. x Providen-
Ciuiusq; nostrum vita morsq;
Stat, cadit huius ad arbitratum. tia.
Nec, vt profanum vulgus & improbum,
Rerum Satorem tu temere arguis,
Quod multa voluat secla cornix,
Multa animal pauidumq; ceruuss;
Ad sanctiores natus homo vices,
Capaxq; dize mentis imago, quem
Celsum intueri iussit Astra,
Tam breue tempus in orbe degat.
Is prorogauit sat bene limitem
Mortalis æui, munere cœlitum,
Quisquis dati pernouit æui
Solibus vtiliter fruisci.

LUDOVICVS RYLSKI;

NON HABEMVS HIC MANENTEM CIVITATEM. Heb. 13.

Ille Palatino satur Heros nuper honore,
Belli ardore satur, pacis honore satur
Occidit & Pario tumulauit marmore membra,
Membra DEI coram restituenda throno.
Hem crudam Parcam! duræq; minacia Mortis
Spicula! nec Scythicis spicula visa plagis.
An te dura querar Mors? an tua spicula? lucu
Esse nequis maior nec tua tela, meo.

C 2

Anne

Anne Palatinus cecidit ? dic improba Parca.
Non cecidit. sed ubi est ? cessit ab exilio.

CHRISTOPHORVS ZAWISZA

IN POTENTATIBVS OCTOGINTA ANNI AMPLIUS
eorum labor & dolor. Psal. 89.

Cui bene fasciculos VIRTVS sociarat honorum,
Inuida hunc subitam cuspide Parca scidit.
Ingenuit virtus, tante compendia Famæ
Vnius arbitrio scissa fuisse Necis.
At postquam vidi Cygnæos vertice canos,
Octoginta annos quinque abiisse seni;
Nil est Mors, inquit, nec Honos est ruptus ab illa,
Alter in ætheria sede virebit Honos:
Orbi sat vixit: si plus vixisset in orbe,
VITA laborque foret, VITA dolorque foret.

stanislaus Casimirus Rudominus.

NON TANTA MORTIS NOCVMENTA QVANTA
Morientis emolumenta.

Immites Parcæ, qui nusquam sciuerat iras,
Libret ut hamata noxia tela manu.
Extinctos cineres iugulataque cuspide membra,
Cernat, & attonito colligat ore minas.
Noluit albentis canos miserare senectæ,
Noluit in Litauo lilia stare solo.
Parca tuæ, PARCA, est dextræ victoria; laudem
Maiori decuit pignore stare tuam.
Lilia natura sic inclinata recumbunt,
Laetitia sic moritur, sole abeunte, ROSA.

Non

NO tua laus, MORS, est quod straueris, illius eit laus.

Canitie in tanta quod sciit ille mori.

Nempe quater senos senior es inter Olympi,

Ipse sibi canus castra locauit olor.

STANISLA VS RZECZYCKI.

VT BENE VIVERE, ITA BENE MORI DECE^T.

Skuminides cano venerandus vellere plumæ

Talia, visurus limina Mortis, ait;

Quod volui vixi, vitæ non pœnitet a*c*itæ:

Laudatæ vitæ stat mihi testis Honos.

Testis & ad Moschas via deuia ducta paludes

Visaque vinetis Itala terra suis.

Nūc & posse mori, mens est, animique sequaces,

Vt vixisse bene est: sic bene posse mori est.

Calcanda est lethi via: scrutandæque Tonatis

Æterni sedes, dixit & occubuit.

Stanislaus Orłowski

DE SACELLO NOVITER EXTRVCTO.

Hæc noua quæ varia surrexit fabrica mole,

Inclyta Skuminidæ membra sepulta tegit.

Custodit cineres, tumulataque corpora cippo,

Ætas ne volet, aut glutiat imber edax.

Sat bene prouisum est membrisque animæque sepulti.

Excubias vigiles membra animusque caput.

Quam molem cinxit regina Pecunia muro

Custodit Domini hæc membra sepulta sui.

Quæ data condendæ est regina Pecunia moli,

Hæc animam Domini seruat in Elysio.

IOACHIMVS SCHREDERVS.

TEM-

TEMPLVM
VIRTVTI THEODORICÆ
HONOR ACADEMICVS. P. P.



VAM ludit varijs Humana Tragœdia scenis,
Crœſea modò forte beat, modò nudat coſde;
Fastum regalem nece terrificatq; rogali,
Atq; Solonæos monitus vice verat acerba. (illos,
Coniugat hos genialis Hymen, Clotho abiugat
Hi, modò cœptum alijs, lumen vitale relinquunt.
Nuper, in Orchestram Gediminia Vilna superbam
Producit vidit RADIVILÆOS Hymenæos,
Festiuosq; dedit plausus, gratata Leoni
SAPIEHADÆ, Litaui qui Cancellarius orbis
Illustrèm generum RADIVILO à Principe natum
ALBERTVM WLADISLAVM sibi iunxit, & auxit
Affines RADIVILIADES RADIVILIDE natâ
Egregiâ formâ, egregijs virtutibus ANNA.
Ex illo non dum vaga Cynthia tempore cursum
Complevit, vt educi videt vrbs ea flebile funus
Herois magni; magnum nomenq; decusq;
Qui gesit: THEODORVS ei prænobile nomen,
ET TYSKIEVICIA, modò quæ clarissima, gente.
Quod nomen genitoris erat, cognomine SKVMI N,
Quem PALLATINVM Nouog rodialuget ademptum.
Heu quantum tumulas in eo, LITVANIA fidus!
Non sua sed Patriæ qui commoda quærere natus.
At tibi solamen, virtutis imago Paternæ,
SANVSSVS supereist, qui facta simillima spondet.

En quām

En quām iusta piē , qua sollicitudine soluit ?
Quā Patri, pompa, quanto splendore parentat !
Condendo cineri quam Cryptam condidit amplam .
Quām superimposuit solers illustre Sacellum ;
Iugis ut inde poli deleniat hostia Regem !
Iure pio Nato releuas LITVANIA luctum,
Supremo & meritum deducis funus honore,
Ordine linigerūm lōgo, Procerum ordine longo,
Funus honestante & lacrymis testante dolorem ;
Manibus æternamq; pijs poscente quietem,
Adiungitq; suos mœrens Academia planctus,
Cuius Alumnus Honos & erat IANVSSV S hic olim ;
Hic vbi doctificas cū moribus imbibit artes.
Proin Patrem exsequiis Honor hic Academicus ornat ;
Ipsi molitus Clario de marmore Templum,
Quod stet inocciduo THEODORI nomine clarum ;
Nec minus effulgescat iis, quæ Seres Foi,
Seu, quorum ante alias floret Respublica , Sinæ
De Patria melius meritis Heroibus ornant
Condita, odoriferis lustrantq; frequenter acerris.
Non tamen Heroas, qui multis gentibus error,
Esse Deos ducunt, at eo veneramine dignos ;
Ne'merita laudes à Posteritate filescant,
Nomina neue sequens horum immemor eximat Euum ;
Nomen an illa tuum , THEODORE, obliteret ætas ?
Non patietur HONOR, si quid pia carmina possunt,
Hic itabilem tibi rite locans ACADEMICVS ædem ;
Vatum operas adhibens. sudant in marmore vates.
Vatum opus est propriusq; labor celebrare Tonantis
Numen, & eximios æquare Heroas olymbo ;
Et sero meritis transmittere laudibus æuo.

Nullus & Heroum vates est iure perosus,
Ni virtutis inops , laudi nec idoneus ulli.
Ergo educendo manus emicat impigrafano,

O THEO.

O THEODORE, tibi Clariâ de rupe ministrat
et Apollo. Materiam ipse et Phanes. paries at iaspide fulget
Insero: encarpis nitet omne lacunar eburnis.
Corporis exuuias natus decorare paterni
Certat inædificans tumulo præsigne facellum.
Virtuti vates THEODORI nobile certant
Docta per ora virûm fabricare volatile templum,
At pennis nullo solui metuentibus æuo.
Ergo opere hoc propere summa ad fastigia ducto,
Virruti, THEODORE, tuæ SKVMNIE sacrant;
Insculptis rebus, Patriæ in molimine, gestis:
Et Natum inuitant, rapti decoramina Patris,
Ipse oculis obeat. Videt hic sua præmia laudi,
Et chari genitoris opes pulcerrimaque ausa,
Cclata ingenij, opus iudelebile vatum.

Quam templum prius introeat, spectabile culmen
Metitur visus acie, turrimque decoram,
Cuius apex lunam cum stella continet vnâ;
Quod Tiskieuicæ digma est prænobile gentis,
Dioptæ Ut meliusque notet cuncta, admouet ipse Dioptram
Nuper adinuentam. Tubus ett teres, aptus in arctum
Diduci & longum: vitreus fini orbis vtricque,
Vnus at angustus, pupilla haud amplior ipsa,
Iungi oculo solitus: finis cannam alter adæquat.
Res facile organon hoc procul a visore locatas,
Qua sunt mole pari, facit apparere propinquas.

Ergo ope perpicuæ videt huius cuncta Dioptæ.
IANVSSV: celso gentile in culmine stemma,
Stemnia quod adiecio signarunt carmine vates

stella fui in terris THEODORVS, in astra recessi.

Luna, fugax munit, qui quis in arte, bonum.
Antefores, haud ferales statuerè cupressos,
At hinc inde cedros, æternæ symbola vite.
Rem scripti produnt in odoro cortice versus.

In terris

In terris virui THEODORVS : in axe virorem
Nulla datum caries, nulla teredo teret.
Conspicui postes Aſcreo adamante renident
Versus inauratum p̄fixus hyperthyron ornat; ^{superli-}
Hanc THEODORO TISKIEWICZ ACADEMICVS ^{ædem,} minare.
IANVSSI NATI mite leuamen, HONOR.

Ingrediens oculis haurit monumenta Parentis ;
Quæ graphicè nitidus paries insculpta remonstrat.
Ingens in medio nitet hic spectabilis arbos;
Illustres complexa viros à TISKONE cretos.
KALLI huic NICVS erat pater, à Patre MISKONE natus.
Ille olim Lituani SIDRIGALI Principis aulæ
Præfector fuerat, Marschalci munere functus :
Qui sibi, qui generi, belliq; togæq; , potenti,
Auxit opes, merita aucti insignia nactus Honoris ,
Stellam cui subſtent radioſæ cornua lunæ.

Tisko, Tiskoniæ, quæ Tiskieuicia vulgo
Nunc audit, genti cognomentum indidit illud.
Tisko habuit Natos, Lituum decoramina, senos ;
Se nec Enyaliis gestis, nec honore minores ,

Militiæq; Duces, Castellanosq; celebres ,
Atq; Palatinos, dantes & iura Toparchas.
Archistrategus erat tuus ille, Kiouia, cui mens
Prouida consilijs, vt viuida dextera bello.

Ordine quos longo memorabilis exhibit Arbor.

Vnus in his LEO, vir generosa mente, Lubenfis
Præses, in arma viros solitus duſtare; Paternus
Qui tibi auus, THEODORE, fuit, nomenq; Parenti
Insolitum dedit, ille tuo se nempe Leone
Progenitum Σκύμνον, vel Russo idiomate , Skymni
Indigetat. catulum vox denotat illa Leonis.
Filiolam, Lenkam, dixit, de nomine Damæ.
Mundituga hac clauſtro ſe, relligionis amore,

D

Abdidit

Abdidit, ut coleret, meliora secuta, Tonantem,
Feruidius, vario semota à turbine rerum,
Arabie Phlegethontigenū secura luporum.
Præbita, nomen in hoc, ludendi vatibus ansa.
Mente Leonina sobolem, LEO Tiskonide edis,
Nomineq; hanc apto degenerare Vetas.

Ten, THEODORE, Nepos ò auis dignissime tantis,

Degenerasse ab ijs iure quis arguerit?

seu res consilio seu forti Marte gerenda;

Visis es inuita mente manuq; Leo.

Clara dein chari speculatur is acta Parentis,

Digna imitamini bus, memori quæ mente recondit.

Indolis eximia primis spectatur in annis,

Inuigilare libris omniq; assuescere recto,

Affectare decus; peregrinas visere terras.

Has aditare simul, quas pestis & ira Tonantis

Polluerat sacris eueris Hæresis aris:

y ritheber Mœnia y Leucoridos, quæ spumeus alluit Albis,

ge. Heu calamo nimis ac Furijs atrata Lutheri.

Cognitus hic illi vir humi cognomine nigra;

Cui mens nigra magis, mage nigrum dogma, Philippus.

Gypsatum THEODORI animum tamen ille nequiuuit

Inficere, ut multos huius Regionis alumnos,

Diuini verbi specioso murice lusos.

¶ Baffea. Sed nec obest huic. ¶ Rauraci rauis vlla Lycei.

Sed nec obest corui nequam, Besa, nequius ouum;

¶ Geneua. Corui Stigmatæ, cui nidus, aprica Lemani

Ripa lacus, inimica Tybri, Rupiq; Petrinæ.

¶ venena. Irrita confignant ea ¶ deleteria vates.

Nij hebet Hæreticis tua mens, THEODORE, venenis?

¶ amuleta ¶ Præbia præseruant entheo virus agunt.

Nil à letbifera metuens sibi peste colubros

Inter virosos sic agit Indus oryx,

Hinc tres Sarmatæ sculptos videt ordine Reges;

Chara

Chara quibus genitoris erat fidissima Virtus-
SIGSMV NDO AVGVSTO, quoad ipse superstes, hic hæsit;
Sedulus obsequiis, & obire negotia dexter:
Non minus armorum dexter, quam pacis ad Artes.
Ergo suos cuncos Patriæ inuehit acer in hostes,
Hic Stheneli similis, præstans juuenilibus ausis,
Sculpitur ac audax ruere in certamina belli,
Atq; manu promptam secum raptare juuentam.
Hostiles agitare globos vel sternere ferro.

Nec minus ore potens validæ quam robore dextræ
Visus hic Augusto. Proin vñus mittitur inter
LEGATOS ternos, iuimica ad nomina, Moscos.
Threicio sublimis equo residere videtur,
Insigni phaleris, frēnisq; micantibus auro,
Moscouij proceres, ostroq; auroq; nitentes,
Obuiam honorificeruere his in mœnia vectis.
Hinc STEPHANVS BATOR in Tyrio Rex murice fulget;
Omni ex Sarmatia; procerum cui plurimus ordo
Obsequium iurat, Litauiis THEODOR VS ab oris
TISKIEVICI ADES socios hic emicat inter;
Accipiēs à Rege fidem præbensq; vicissim.
Rex animi prudens, generoso in corpore mores
Cernit vt egregios, ratus hunc ad maxima natum,
Adiungit sibi, thesauris & præficit aulæ.
Cernitur hic adsculpta Fides, æraria seruans.
TE M H! num quis, (ait) THEODOR E, fidelior alter?

Liuoniam interea Litaūum & confinia Moscus
Vexat, & infestis populatur barbarus armis:
Rex bonus hunc monitum tanti cupit ante furoris,
Vltorem, nisi desineret, minitatus & arma.
Ergo iit Orator, tanto in molimine rerum,
Ante alios TISKIEVICI VS THEODOR VS ad illum;
Quid velit, exquirat, pacemne Tyrannus an arma,
Si perget furere vtrices mox affore dextras.

Torua tuens sedet in solio, Busiris instat,
Dum THEODORVM audit, Basilides ille IOANNES,
Fulmina torquentem, STEPHANO pro Rege, minarum.
Orantisq; minas, STEPHANI & qua tremiscit & arma;
Ergo in amicitias & idonea pacis iturum
Fœdera se simulat; solito mox dira Tyrannus
Arma furore ciet, ferro grassatur & igne,
Ac sibi Liuoniam prope subiugat efferus omnem.

Iusta Polonorum mouet indignatio Regem;
Hanc proin indomitam bello domitus Eriynnyn,
Dicit in arma suos Lituos acresq; Polonus;
Hic armamentis, terraq; vndaq; vehendis,
Præficitur THEODORVS. onus promptissimus ille
Impositum sibi grande subit, conamine magno.
Impiger huic instare operi spectatur; ad arces,
Nunc has, nunc illas, tot equorum totq; virum vi,
Pertrahere; ingentes tormenta datura ruinas.
Quin etiam affluit, superanda vbi Pergama, primos
Cernitur hic inter mens huic tam prodiga vitae,
Mens tam prona suo lethum pro Rege pacisci.
Ergo, nec optantem, merito huc Rex ornat honore.
Namq; Polocensi postquam fuit vrbe potitus,
Braſtžauix, quæ ficta & in hoc celamine claret,
Præsidem eum creat, & mandat ius dicere genti.
Dein, victa magna, magno molimine, Lukâ,
Adiicit huic OLYTAM parili Rex iure tenendam.
Creuit honos in eo, quantum creuere labores.
Virtutem vestigat Honos, sequiturq; fugacem.
Regia laus, vbi promeritis & quantur Honores.
Composito bello, domitaq; Tyrannide Mosci,
TISKIEVICIADEN Rex victor honorus eundem
Directorem adhibet Repetitoremq; fidelem;
Iura Polocensis quis digerat omnia Tractus;

Iura

Tura tot annorum variò cōtinuā tūmuitu,
Pallatinatū & honesto Schemate donet :
Et bona distribuat, prout cuiq; à Rege tributa.
Eminet in celso cælata Polotia clivo ;
Hinc, fluuij Dunæ munita stat, inde minori,
A quo scilicet vrbs est nomen adepta, Polottæ.
Hinc Transdunanae renitere videntur & Arces ;
Nomine quas Regis THEODORVS ab hoste recepit.

Hic neq; munifici requieuit gratia Regis
In bene promeritum ; Litaui ipsi nempe Ducatus
Thesaurum credit, succedere vultq; IOANNI
Hæbowicz, Pallatinus fit vt ille Trocensis .
Hic videas. Regem THEODORO porgere clauem
Aureolam fisci Nec eo cumulatus honore,
Otia quò captet, latus hic regale relinquit.
Sed nec ab extincti se Regis corpore duxit,
(Ipse locus Lethi, GRODNENS S Regia testis)
Quam prius Arx eius curæ Vilnæa fidelis,
Concilio Procerum, cōmissa tuisset, ab omni.
Nec tamen interea studium Regalis omisit
Funeris, exequias & magno iusta paratu
Sollicite adcurans, supremum ornauit honorem.
Hic inter Proceres deducere fleibile funus
Conspicitur Craci moestissimus vñus in arcem.

Hinc in Rege nouo stat factio sculpta legendu.
Stirpe Iagełloniæ THEODORVS hic hæret in vnâ ;
Principe Suecano materni nobile nacto
Nomen aui : genitrix CATHARINA Iagełlonis illi ;
Finnoniæ (Scis Vilna) Duci sociata IOANNI ;
Post sibi quem dignum legit Suecania Regem.
Quæ queat esse , omnis visa hoc in Principe virtus.
Hunc alienigenis THEODORVS , iure præoptat.
Hanc nequit æmula pars scriptis euertere mentem ;
Sed neq; Cesarei fratris manus atq; sigillum,

Regina ANNA SIGISMUNDI mater tera icriptis
Hunc stabilem THEODORI animum, meliora sequentis,
Cum Sario Duce militis, collaudat amicis.
Nec sine honore fides nec abit sine munere tanta;
Sæpe tot impensis proprijs ac ære probata.
Namq; SIGISMUNDO Regali in sede locato
Iurat ubi obsequium, Rex hunc complexus amanter;
Præses & oconomus, vir, ait, sis inclyte Grodux.
Artifices sculpsere manus in pariete Grodnam;
Heu: nimis infastam BATHORINO funere Grodnam.
At fortunatam THEODORO præside Grodnam.

Iamq; fatigatus curis THEODORVS & annis,
Tandem optans laxare animum, captare quietem,
Thesauri officium graue, Quæsturamq; resignat.
Rex at honorato cupiens hunc munere fungi,
NICOLEO Radiuiiadæ succedere iussit,
Pallatinatum Nouogrodensemq; tenere.
Colle super celso Nouogrodia sculpta coruscat.
Visq; Senatorem se præstitit ille iudelem.
De Re communi, dum Varsaviense Senachum
Consuluit, non ynquam aberat fidissimus Heros.
Dum Regem impeteret Furor ac ciuilis Enyo,
Hic a Rege stetit. Dum fraus incendia voluit
Varsaviæ yix equasit de nocte periculum,
Regia ni ductu Raphaelis secta subfisit.
Nomen id est famulo, Aligeri qui munere functus
Difficili spectata fides hoc tempore, Regi
Muneribus meritis dignissima vita rependi.
Ergo lurenburgum Nouovolamq; adiicit ipsi;
His dare iura iubens & ab his decerpere fructus.
Ex alia se parte ferunt delubra videnda,
Quæ pietate flagrans THEODORVS honoreq; Dio
Struxerat in proprijs, dote haud sine diuite, fundis;

Inq

Inq̄ locis, Regum quæ nutibus ille regebat.

Huic operi insertus Procerum lectissimus ordo,
Quorum ope, quorum operâ, Cathedræ gēns Russa Petrinæ
Accessit, Dominæ se subiecitq; facrorum,
Quæ mundi caput est, cœliq; vicaria, Romæ ;
Petrocathedromachos, agmen furiale, petrofa-
E sacris, MICHAEL h̄ic metropolita RAHOSA;
Pæne politico habet THEODORVS in ordine primas,
Feruidus ante alios ineundi fœderis author.

CLEMENTI Octauo, duo, Russæ nomine gentis,
H̄ic sese aternunt, pebibusq; pia oscula figunt,
CHRISTVMq; in Papa merito venerantur honore,
Polliciti obsequium Pastori iuge supremo.
Vnus in his erat HIPPACIVS cognomine POCIEY,
Qui sacra Russorum post Metropolita regebat:
Vir præstans animi, fidei defensor & acer.
Cuius adhuc successori viget æmula virtus.
IOSEPHO VELAMINO, cui Russica sese
Natio RVTSCIADÆ multum debere fatetur.
Hunc pariter monstrant operosa toremata vatum;
Cum Clero, sedenim THEODORI funere moestum :
Triste sed amissò meditantem Epigramma Patrono.
Quod pia posteritas inaratum pellegat vrnæ.

Lux Litauūm, decus Heroum, Pietatis asylum
SKVMIN TISKIEVVICZ h̄ic THEODORVS humor.
Hæresiarcharum nidos, iuuenilibus annis ,
Lustrauit ; me non læsit at illa lues.
Fidus eram Regi Avgvsto BATORIq; , pioq;
SIGSMUNDO , Sueonum Rege Ioanne fato.
Sæpe sub Augusto comissa negotia dexter ,
Et quo par studio, nomine Regis , obii

Eiusdē

Eiusdem auspiciis, Martem experturus, equestris,
Ære meo, duxi fortis in arma globos.
Dein STEPHANO graue Martis on⁹ cū Rege subiui.
Fulmina bellorum credita cuncta mihi :
Hostiles si quæ superandæ assultibus arces,
Prodigus hīc vitæ, pars prope prima fui.
Pace recompositâ Lithuani, à Rege, Ducatūs,
Aulæ Quæstori, credi ta cura mihi.
Extincti BATORIS dum iusta procuro, rogatu
Magnatum, Vilnæ Præses in arce locor.
Sceptra Jagelloniæ deberi censeo stirpi:
Hoc nihil à studio, sollicitatus, agor.
Ergo SIGISMUNDVS me TERTIVS auget honore :
Pensat in abruptam munificatq; fidem.
Braßlauiam ac OLytam BATORIS de munere rexí.
TERTIVS hīc terna me ditione beat.
Grodnā, Iurenburgū, Nououola hoc addita Rege :
Non audiē emungens, his ego iura dedi.
Iamq; annis grauior gazam Fiscumq; resigno,
Liber vt ætherea gazan in arce parem.
Maiori tamen hīc me Rex bonus ornat honore,
Meq; Palatinum dat, Nouogroda, tibi.
Viginti septem gessi hoc decoraminis annos.
Interea cultum rite propago DEI.
Limina sacra struo, simul & ruitura recondo :
Religio & dispar me duce fœdus init.
Me promotorem veneratoremq; fidelem,
Quæ Romæ est, habuit Sacra Cathedra Petri.
Hanc

Hanc tu promoueas, hanc tu venereris, IANE ;
Hanc, pie NATE, salus si tibi chara, tegas.
Ac velut orsus eras, ubi clara Polotia, per te,
Ios A PHATVM exceptit Pontificemq; nouum,
(Ter centeni equites duce te comitantur eundem,
Introit ut Cathedram, Rege volente, suam ;)
Sic pergas : placeat tibi cœlitis orbita veri.
Dissidium fidei Schismæ nullus ames.
Ascetas at ames quibus est Concordia cordi,
Offa quibus mandas exuiasq; meas.
Nec minus & cordi tibi sit Philomusa iuuentus,
Cuius inocciduâ non sinor arte mori.
Viue diu ; Catharina parens, tua Barbara coniunx,
Tecum progenies viuat & Eugenia.
Viue diu, sed viue Deo, fidei q; tuendæ :
Vita tibi hæc vitæ ianua , IANE. Vale.

LLacrymaris ad hos monitus, IANVSSE, Paternos,
Mente repositurum te pollicitaris & alta.
Quamq; Parenti eduxit Honos Academicus ædem
Ex Alabastrite, quem fert Parnassiu rupes,
Arte laboratum propera licet, attamen ærum
Quæ ferat, ac ævo laudes Genitoris adæquet,
Mnemosynon tibi & Artilegøs fore calcar amandi.

VALENTINVS Załeski. Ait. & Phil. Baccalaureus.



EPIGRAMMATVM ANATHEMAT A.
E EPO-

E P O N Y M I C O N.

Nomē habes, THEODORE, Dei, quod es omīne, do-
Id nomen rebus conuenienter habes. (num.
Grande DEI donum est, Heroū sanguine nasci.
Tu, TISKIEVICIAE flos, THEODORE, domus.
Grande DEI donū ; Hæreticorū haud vellere falli.
Nec te horum faciunt trita Lycea ^{λύκον}.
Grande DEI donum ; Superis virtute probari.
Summis ac imis te probitate probas.
Grande DEI donum, bene charum Regibus esse.
Tu Regum Triadi, Marte Togaqη places.
Grande DEI donum ; diuinum extendere cultum.
Extendis , sacros ædificasqη lares.
Grande DEI donum ; discordia iungere corda.
Se debet Fidei sancta Homonœa tibi.
Grande DEI donum ; senium venerabile canis.
Hoc & habes ; Neptis tecη salutat auum.
Grande DEI donum ; felici morte resolui.
Æthera tu felix, morte solutus, adis.
Pro donis, frueris iam Donatore ? beatus !
Qui ΘΕΟΔΩΡΟΣ eras, hinc ΘΕΟΘΩΡΟΣ eris.

MICHAEL SZOSTOWICKI

POTIOR THESAVRVS IN Astris.

Primū Aulæ , Litaui post credita Gaza Ducatus,
Curæ TISKIEVICZ, ô THEODORE, tuæ
Crescit

CRECIT VBI VIRTUS, CRECUNT VIRTUTIS HONORES.

In virtute labor : meta laboris Honor.

Par labor est parere, & partum virtutis Honorem
Indeclinata sustinuisse Fide :

Sustinet usq; Fides, grauis at non sustinet ætas:

Ergo declinas, ponis & illud onus.

Terrestri positâ, gazan meditaris olympi.

Plus habet illa oneris, plus habet ista lucrî.

STANISLAVS NARYSZEVICZ.

E M B L E M A.
CORNV COPIA.

Quæ pacis sunt.

Cnbspicis h̄ic oleas, varias & fertilis Anni,
Quas cornu exiguo fert Achelous, opes ?

Has pia conseruat concordia, dextraq; iuncta
Dextræ. Congestas perdit Erinnys opes.

Tristis Erinnys Eris: discordia tristis Erinnys,
Qua duce dispereunt religionis opes.

In multos THEODORVS opes iam contulit istas,
Ad bona dum Russos foedera pacis agit.

Pars bona pacis ea est, Cathedræ se iungere Petri,
Pastorem in terris legitimumq; sequi.

CASIMIRVS GALINSKI.

BEATI PACIFICI

E 2

Vnio

VNIO Christicolum, gratissimus vnio Diuis;
Dissidium fidei, Schisma Satan ut amat.
Pars bona Russorum Cathedrae quod redditum Petri,
Se Papae subicit Pontificum Patri;
Foedera quod stabili Ritus Graecus atque Latinus,
His oris, coeant, non leue calcar eras;
Tu consuasor eras, tu dux, THEODORE, praebas.
Pacificatoris iure brabeon habes.

SAMVEL SIEMIAKA.

NON NOBIS SED PATRIÆ
Viuimus.

VIdit Skuminidem patriæ sudare labore,
Astræa in supero Virgo locata globo.
Inter sinceros famulatus, commoda vidit
Plura suæ patriæ quam generata sibi.
Indoluit, rapuitque virum telluris ab oris,
Voceque non ficta talia verba dedit;
Fessus ad optatam Diuorum tende quietem:
Sat patriæ; viuashinc, THEODORE, tibi.

GEORGIVS DRASLAVVSKI.

MORS DICTA FACTIS

Præuertit.

Venerat ad Parcas facie Mors sæua minaci,
Visum quod Lachesis pensa moueret edax!
Enbreuiata videt THEODORI stamina Skumin
Ægraque iam subita fila secunda colu.

Pro-

Protinus existens hæc læto pectorè fatur;

Siccine pensa iacent? quid colus ægra vacat?

Dixit, & extemplo secuit vitalia fila:

Tam citò nec dixit, quám citò fecit opus.

ALEXANDER KOVVNACKI.

OPPRESSÆ CADUCEATOR

Patriæ.

ILLE ille antiquo ducens à Tiskone nomen,

Ille Senatoris vir grauitate potens.

Regibus ille comes ternis clypeoꝝ togâꝝ,

Sedibus in Patrijs ille dolendus obit.

Ille in Mosciacas bis missus Nuncius oras,

Ille Pater Patriæ , & pacis amator abit.

Ecquid abit? Patriæ nouit discrimina nostræ,

Et sic pacis amans Nuncius astra petit.

Pro patria, & patriæ pro natis Hoste reuinctis;

Cum Christo, æternæ fædera pacis aget

CHRISTOPHORVS STYREBOVICZ.

AVGESCIT LVMINE

Lumen.

SKuminides summos inter stabilitus Honores,

Fulgidor supero sidere fulsit humi.

Non est in terris THEODORVM passa morari

Fama, tulit celsum celsa sub astra virum.

Insignem tulit in Patriam meritisꝝ, grauemꝝ

Patriæ amore virum , relligione virum.

E 3

Audiit

Audijt Astrorum princeps præconia Famæ,
Atq; soli sidus iussit inesse polo.
Hic modò Skuminides lucet fulgentior astris,
Nec cerni à nimia lumina luce queunt.

FLORIANVS OLSZYNSKI.

FELICIORI NASCITVR Vitæ.

Mortua num viuit Lithauis clarissima campis,
Tiskonidūm celebri nata propago domo?
Et viget illa simul, iacet & simul obruta morte:
A Parcis iacet, à relligione viget.
Viuis Tiskonidūm plus viuis nobile lumen,
Sint extincta licet luminis ora tui.
Teq; immortalis comitatur gloria viuum.
Vita tua ista noua est, vitaq; nata tua est.
Vtq; noua hanc vitam modò possis viuere, debes
Abijcere antiquas corporis exuias.

BARTHOLOMÆVS KRASOVVSKI.

IN BINAM LEGATIONEM.

NIL syncerus amor timet: in mare curret & ignē,
Ardua vt audacis iussa faceſſat heri.
Bis THEODORVS adit Moschos Orator atroces,
Immiti haud gentis territus ingenio.
Jure iram poterat Basilidæ horrere Tyranni,
Exitit insontum cui laniena iocus.

Hic

Hic tamen intrepido Regum exprimit ore suorū
Iussa : nec hoc Cyneas munere maior erat.
O dignum pectus generoso sanguine Lechi !
Nil Natis cuperet fortius ille suis.

CASIMIRVS MAFFON.

IN FIDELITATEM.

potiora secutus.

L Echia dum studijs varijs animisq; laborat,
Funera post Batoris, cui sua sceptrta dicet;
Oratu Procerum Vilnæ THEODORVS in arce,
Regis ad electi tempora, praeses erat.
Perstigit inuicta mente huc protractus & illuc,
Proq; Jagellonia perstigit ille domo.
Iure tibi poterat credi, THEODORE, Ducatus,
Cui potiora sequens indubitata fides.

ALEXANDER OZIEMBLOVSKI.

VIXERAT ILLE SATIS.

EN quanta est nostio sub cœlo facta ruina,
Quæ Litaui & Russi concutit arua soli.
Ah Russæ & Litaue, THEODORVS, gloria gentis,
Vncata mortis falce peremptus obit.
Sidesiderium spectes, citò morte peremptus:
Si numeres annos, vixerat ille diu.
Si spem, animum, viresq; : parum ; si fortia gesta
Tam sibi quam Patriæ vixerat ille satis.

CASIMIRVS PAC.
LACRY-

LACRYMAS INHIBET
CTIENTES.

Argifluas mœsti lacrymas inhibete clientes,
Nolunt Patroni hoc fata dolore coli.
Sicca arbos primūm reparat quandoq; viorem,
Irriguis radix si foueatur aquis.
Haud tantum ex vobis ortos puto posse liquores,
Vt reducem effossa dent THEODORON humo.
Nil supra vires facile esse videtur Amori,
Credit id audaces nec superare manus.
Siste amor & fluxæ THEODORO tempora vitæ
Ne cupias; vita nobiliore viget.

ANDREAS PHILIPPOWICZ.

IN PRÆDIVM FATALE KORZ-
CIS C. MORI LVCRVM.

V Ita quid est hominis, nisi, promercalia nobis
Quæ bona prostituit non peritura, Forum?
Depositā h̄ic ab Hero datur exercere talenta,
Lucrificasq; mnaas : h̄ic emere astra licet.
Cotho vbi destiterit fatales voluere fusos,
Mercandi ratio non erit vlla super.
Vel vicelsa rapi, vel emi vult Regia Diuūm.
Hanc emis? an sancta vi, THEODORE, rapis?
Corporis ac animi neruos huic tendis habendæ;
Fortunas adhibes : & rapis hanc & emis.
Ipse locus lethi, fluui cognominis Aula,
KORZISC, ô Here, ait, Mors erit ista lucro.

JOANNES BROLNICKI



S V P R E M A M E M O R I A E

S I V E

F A M A P O S T H V M A

V I R I V I R T U T E, G E N E R E I L -
L V S T R I S; S E N A T O R I S C O N S I L I O,

A V T H O R I T A T E A M P L I S S I M I,

D. T H E O D O R I

T I S K I E W I C Z, S K V M I N;

P A L A T I N I N O V O G R O -
D E N. G R O D N E N S I S, O L Y T E N:

I V R B V R G E N: N O V O V O L E N S I S
C A P I T A N E I. &c.

V i r t u t u m F a t e r n a r: v t F o r t u -
n a r u m H æ r e d i ,

M. D. I A N V S S I O T I S K I E W I C Z
S K V M I N,

M A G. D. L. N C T A R I O, C A P I T A N E O
B r a s l a u i e n. &c. H o n o r i s O b s e r u a n t i æ Ergo

A B A N D R E A L O E C H I O S C O T O

I n t e r S o l e m n i a L u g u b r i a D i c a t a .

510

IN CYNTHIAM ET CYNOSVRAM GENTILITIA PROSAPIÆ TIS- KIEVICIORVM INSIGNIA.

VT Stellas inter dea Cynthia luce minores,
Stemmataſi c inter Skuminjana nitent.
Inuidus at ſi quis, forſan, maniſta negabit,
Non ſolus facies, Magne Gradiue, fidem :
Sed pariter gestis Pallas bene rebus Honorem
Tiskieuiadūm commeruiffe Domum
Agnoscat, toties exornauere Penates
Tam decora alta Sagi quām decora alma Togæ.

ALLVSIO AD EADEM.

IVppiter hanc Stellam Litaui dum iung eret aſtris,
Tu radios, dixit, ſpargito in orbe meos.
At Comes accedat dux Cynthia noctis, ut alte,
Discuſſa penitus nube, ferena mices.
Irrue, nunc Litaui quicunq; es nominis Hostis ;
Prodēris Marti luminis huius ope.

SUPREMA MEMORIÆ.

S I V E.

FAMA POSTHVM A.

Quà Sub Nomine Genij Orientalis Ecclesiæ, quà Religionis in
Unionem expertem Schismatis viudicata Defuncto

THE



35929

THEODORO TISKIEWICZ
SKVMIN.

IUSTA PERSOLVENS.

G. Quo tot lugubres tēdūt lōgo ordine pōpæ?

F. Ad Triados, Functo ut debita Iusta parēt.

G. Cui? F. Meminisse dolor: THEODORO agnomine Pa-
TISKIEWICZ, SKYMIN. G. Flebit ô vſq; virum (tris
Relligio. F. Spoliata sinus, lacerata capillos

Iam dolet occasum, his prosequiturq; sonis;

(Illæta en loquitur : nil fingo, vt fingo loquentem)

R. Deseris haud apto tempore. quippe mihi

Omnes quæ fuerant spes in viuente repostæ,

Has aufert tecum funeris vna dies.

Pluribus ampla licet tua sit Mors causa doloris,

Ipsa fleo in primis hanc : Themis ægra gemit

Præuisam cladem : Grauitas sua pectora plangit,

In te iacturam conqueriturq; datam.

Pullatæ in serie venit ipsa Modestia, seq;

Pectora vix aliquo, pröh, superesse putat.

Ablato flet te, THEODORE, heu, damna Senatus,

Mœstus ; TISKIEWICZ, dum rogat ore, vbinam ?

Quam promptus patriam re consilioq; iuuabas!

Hinc se desertam, te moriente, vocat.

Te Candor, gentis supra, Moresq; probabant :

Hinc laribus præsens tu propè Numen eras.

Barbarie exosus, pectus commune potentum,

Certasti Ingenij prænituisse Bonis.

Sic tibi culta fuit cum Pallade turba nouena,

Censuit & quiequid turba nouena suum.

Hinc moritur tecum dubijs Prudentia causis :

Consilia, es solitus quēis valuisse, iacēt.

Quām timeo, Numen quēis nil nisi nomen inane !

Maxima curarum sed tibi Numen erat.

G. Zelus abest : sensus priscæ pietatis abiuit,

Subq̄ polo mens res nata fouere sacras.

Scilicet his reliquos abiens prædatur, & aufert,

Quēis cæli & eternum culmine Nomen alat.

F. Hæsito vocis inops, at tu Requiesce ! minora
Admitte & Facitis Consilijsq̄ tuis.

G. Laudibus adijcio : THEODORI haud pars perit vlla.
Tellurem exsuiæ, spiritus astra tenet.

R. At Meritorum in me pia Fama per astra vagatur,
Maius & à ducto funere Nomen habet.

F. Viuis, & eternum viues THEODORE, perennes,
Quo gaudes, Cœlo suppeditante dies.

D I A L O G I S M V S

Ecclesiar. cum Catholicā ad vniōnem, olim per exortum inter Græcos
Schisma reiectam, demum Sub Clem. VIII. reuersarum.

T ISKIEVICZ terras vbi liquit, Schisma perosa

Audita infando Fana dolere modo,

Hisq̄ sonis vti, Diūm auscultante coronā,

Ipsò etiam gemitum dissimulante Ioue ;

Quid THEODORE fugis ? sectamq̄ hominesq̄ rebelles,

Ceu proâum infestos per mala mille Sacris.

Quò THEODORE fugis ? seiuncta ò regna laresq̄

Schismate, vafricie, seditione petis.

Quæ

Quæ non pulligeræ species, THEODORE, cohortis

Lumine te raptum quærerit? ita & queritur: .

Quærimus in terris, cui virtus contulit astra;

Inq̄ illo absente m hanc quærimus, & gemimus.

Tu cur, errorum mediâ sub nube relinquens,

Consilium & pariter subtrahis oris opem?

Consulis, in medio dum fata Deusq̄ sinebant;

Consilijs cernis nec superesse locum.

Cur ita? laudatur Deuotio Schismati, at alget,

Nec quisquam est, gratis qui velit esse pius.

Artibus hinc tu, Religio, laceranda per artus,

Mox Fidei ab merito nomen inane geres.

Quid non te manet, heu pedib. calcanda nepotum?

Eoo quamvis fota sub axe diu.

PROSOPOPOEIA SACELLI

A MAGNIFICO D. IANUSSIO TIS-

KIEVICZ SKVMIN, NOTARIO M.D.L.CAP.

Brassauense &c. non minùs impensè in sepulchrum Exst-

uarum Def. Parentis curati, ac religiosè sibi, mortali-

tatis memori, suisq; deinceps destinati.

AD CONDITOREM.

Q Væ struis ad Superos reuocato busta Parenti,

Talia vila polo, vel sine voce, loqui:

Debebam condi Tyberini ad littoris Aras.

Sancta ubi Roma pium tollit ad astra caput.

Dignus ut ille fuit Tyberini littoris aurâ,

Et quem iuraret maxima Roma suum.

Me

Me Patriæ at facilius dedit indulgentia Cœli,
Maiorem vt faciant offa retenta viri.

ANAGRAMMA GEMIN VM.

THEODORVS TISCHIEVICSS, SCVMIN
TV. HIC. VICTVS, SED. HOS. VINCIS. MORES.

ELOGIV M EIV SDEM.

TV VICTVS fastu THODORE es. nempe perosus
Elatos, odiſſe vt ſolet ipſe polus.
Ac lucem Tenebræ, vitium velut inclyta virtus ;
Horret vt ignauos mascula Diua viros.
Barbarie es victus (tantum haud commune potentum,
Heu vitium !) decus eſt cui modò ſcire parum.
Hos MORES VINCIS, toto ſed Iudice Cœlo,
Moribus & Generis Nobilitate tui.
Cura an cui maior fuit hic vixisse beatè ?
Cui magis Ingluuiſes ſub ratione fuit ?
Tu de Barbarie ſtatuis Fastuq; Trophæum !
Nemo minus voluit, nemo magisq; dabat.

ANAGRAMMA SECUNDV M.

MORS, HIC. HIC. EIVS, CONDI TVS. IVSSV EST.

APOSTROPHE AD MORTEM.

CONDITVS HIC IVSSV EST CINIS EIVS, ſūtq; locata hic
Omnia quæ tua, mors, dicere iure potes,

POETA AD DEFVNCTI IGNARVM.

QVem teneat quæris decuſhoe ſublime. ſepulchrū
(Audin :) TISKIEVICZ hic THEODORVS habet.

Plura

Plura rogat rogates vel Famæ Fana licebit.

Expedient tali Fana rogata modo;

Dignus o Ille fuit Pylium canescere in æuum,

Si cuiquam hoc probitas conciliare queat.

Dij saliter visum, qui cœli in regna receptum

Æterna afficiunt, iam sine nocte, die.

Quod mortale fuit, cepit breuis vrna : perenne est

De viuo quicquid Posthuma Fama canit.

IDE M B R E V I T A T E M S V A M

In Defuncti Laudes LL. Amisit excusat.

O Sfa cubant THEODORI hîc; non cubat illius atqui

Virtus, at petijt sidera: Plura canam?

Cætera, credo nefas, quæ æterno Nomine digna

Sunt, mox calcando panger e gesta metro.

Scilicet est vob. nec tanto in honore Poesis,

In quanto his terris est vitij omne genus.

ANNVS OBITVS MAIVSCVLIS EXHIBITVS.

Chronodisticho alluditur ad incessum

Funereum pompam comitantium.

HIC nVLLVs speCtās oCVLōs post terga refLeCtIt

desperat THEODORO reperiRe pareM.

THEODOR TISZKIEWICZ
SKVMIN

z Imienia y Przezwysk liter.

O. W. ŽYSK. KTO. ĆV. DZIEN SMIERCI.

KTO DZIS Žyw O ĆEN Kv. SMIERCI.

Prze=

Przestroga jekiego do pozostalych.

Kiedyby moie Cien ie powiedzieć vniály
Co z tey nižkości zchodziac na sobie doznaly /

Tylko rzeklyby : O W 3YSK DZIEN KTO TY v waża
Swey SMIERCI / a Nádzieia sobie nie poblaża.
Kto bowiem dzis zyw, o TEN tuż KV SMIERCI zmierża

Prozney zárowno wßystkym smiertelnym przymies

(czas.



Firma' Politix CONCORDIA commodat omni:

Fulget in vnanimi Religione magis.

EDIVIS IN SCHISMA.

Vult Devs EYPHNHN Satanas EPIH: vnio munit

Cœli iter, ast Erebi Schisma. quid, Erro, probas?



L. 119